



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta  
præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs  
Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

**Meglinger, Joseph**

**[S.l.], Anno MDCLXXXII.**

3 Januarij. 3 Nonas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45295**

6 ANNI CISTERCIENSIS

Circū-  
cizio  
duplex.

lectione, congruum sibi mandatū exigua circumcissionis accepit: sic ubi crevit in virum perfectiorem, toto jubetur corpore baptizari; quæ est totius hominis circumcisio.

(☩)(☩)(☩)(☩)(☩)(☩)(☩)(☩)

3 Januarij. 3 Nonas.

Floruit  
anno  
1300.

**B.** HOSTRADE, simplicitate animi, & quæ illam comitari solet, vitæ innocentiam admirande: qui à teneris spreta mundi vanitate, inter Cœnobitas Cistercienses degebas. Pater monasterio præpositus, in id potissimas curas intendisti, ut filios haberes tui similes, id est pios ac sanctos. Jamque meritum Cœli Regina suaviter à frugali mensa ad æternas epulas invitavit; gestatum brachijs puerum JESUM tibi amplectendum tradens. Cui cum de pauperulis cibus quidpiam offerres, aliud ille convivium in domo Patris sui tibi intrà triduum promisit. Inter illas epulas jam felix, mei tanquam famelici mendici memor, de divite gratiarum celestium mensa micæ aliquas mihi largire. Nosti extremam egestatem animæ meæ: ad quam si Divinus ille hospes tuus diverteret, nihil de virtutum penu haberet in promptu, quod dilecto apponeret.

Felix  
cōviva.

Pauper-  
tas ani-  
mæ.

B. Go-

B. GODEFRIDE à S. Mauro, sa-  
 cri Ordinis Cisterciensis in Congrega-  
 tione Fuliensi monache: qui tenerum  
 corpus diris verberibus discerpendo se-  
 pe totus sanguine madebas. Nunquam  
 ad sacrosanctum Missæ Sacrificium ac-  
 cedebas; nisi prius per solidæ horæ spa-  
 tium Dominicæ Passionis mysteria in-  
 ter lachrymarum imbres fuisses con-  
 templatus. Ægrotis, præsertim morti  
 proximis, indefessa charitate, per sua-  
 via, & amore Divino inflammata al-  
 loquia, subvenire gaudebas. Denique  
 hujusmodi laborum, & aliorum cruci-  
 atuum asperitas infirmi corporis vin-  
 cula dissolvit; à quibus anima libera,  
 ad libertatem æternam evolavit. *Ab  
 quoties aridus & siccus accedo ad SS. My-  
 steria! Tu, quæso, ex lachrymarum illa-  
 rum, quæ olim ex oculis tuis manarunt,  
 felicissimo flumine, guttam in saxum cor-  
 meum immitte.: emolliet illud & purgabit,  
 ut dignius deinceps receptaculum tam im-  
 mense thesauri fiat.*

*Obijt  
 anno  
 1611.*

*Piæ præ-  
 paratio  
 ad Mis-  
 sam.*

*Eucha-  
 ristia  
 digna  
 sūptio.*

B. OZILIA, S Julianæ Cornelien-  
 sis individua comes: cum qua diutur-  
 nas persecutiones, longumque exilium  
 perpessa; invicto animo perseverans;  
 geminum tandem exilium feliciore  
 patriâ permutasti. *Utinam & ego hujus  
 terreni exilij brevitatem saepe & serio cum*

*Vixit  
 circ. añ.  
 1240.*

8 ANNI CISTERCIENSIS

Vita  
brevis,  
æterni-  
tas lon-  
ga.

*cælestis patriæ infinita æternitate confer-  
rem! & exinde discerem hujus vite mo-  
mentaneas misérias forti hilarique ani-  
mo perferre: utpote quas exceptura sunt ea  
gaudia, digna, pro quibus mille mundi,  
cum suis vanitatibus contemnantur.*

S. BERNARDUS, serm. I. de divers.

Momentaneum hoc, & leve tri-  
bulationis nostræ: &c. [2. Corint.

Adhor-  
tatio ad  
patien-  
tiam

4.] *Perge ergo murmurare, & dice-  
re: Longum est, grave est; non possum  
tam immania, & diuturna portare.*

*Apostolus momentaneum & leve per-  
hibet esse, quod tolerat. Et certè nec-  
dum à Judæis quinquies quadragenas  
unâ minus accepisti; necdum nocte ac  
die in profundo maris fuisti; necdum  
plus omnibus laborasti: postremò nec-  
dum usque ad sanguinem recepisti.  
Vide ergo, quàm non sine condignâ  
ad gloriam passiones.*



4 Jann-